

quid. Et ex his sane duobus animæ vel decor, vel deformitas judicatur. Illud porro opus, teste Granatensi, est Deo gratissimum quod solis ejus oculis conspicuum, ei, qui operatur, nec utilitati, nec honori, sed nec voluptati est, nisi hoc solo nomine, quod Dei causa sit factum. LUD. GRA., ap. DREX., in *Amiss.*, l. II, c. vi, q. 1. E contrario vero, juxta S. Bernardum, insipida Deo, et quodammodo insulsa est nostra obedientia vel patientia, nisi omnium quæ vel agimus, vel patimur, ipse sit causa. S. BERN., s. de *Obed. et pat.* Quam autem sublimis sit hic gradus, testatur aperte Sanctus Laurentius Justinianus, dum ait: Rarus profecto reperitur, qui solo testimonio contentus sit divino. Hoc probatissimum virorum proprium est, qui in luce veritatis gradientes introrsus, Deo tantum placere concupiscunt. S. LAUR. JUSTIN., de *Compl. Chr.*, *Perf.*, col. 49.

Alterum est, ut magna de ejusmodi bonis operibus estimationem concipiat, quam quidem hand difficulter hauriet, si certo sibi persuadet, optimam vitam (qualis est, quæ optimis operibus abundat) esse « summum, » quem Deo exhibere possumus « cultum: summum, » quod nobis ipsis hac in vita procurare possumus, « gaudium: et summum » denique, quod defunctis æque ac viventibus præstare possumus auxilium.

Tertium est, ut medium idoneum, et efficax norit, quo in ejusmodi bonorum operum exercitio juvetur, quale quidem præ reliquis æstimatur, si ita hoc exercitium aggrediatur, ac si dies quilibet aut primus conversionis, aut ultimus vitæ esset; quorum mediorem primum S. Antonius suasit dicens: Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, ullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem debere semper augere, quod coeperit. S. ANTON., t. II, p. 386. Alterum S. Basilius suggestit dicens: Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies. Cum enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; et cum in lectulum ad quiescendum membra tua posteris, noli confidere de lucis adventu, facilis te possis refrænare ab omnibus vitiiis. S. BASIL., in *Instruct. ad Fil. spir.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Thesaurizate vobis thesauros in celo: » possunt bona

opéra thesauro comparari. 1. « Propter veritatem » « operum: » sicut enim in thesauro res valde variæ reperiuntur; ita vita quoque nostra variis operibus, ab obedientia, ac Dei voluntate præscriptis, abundare debet. 2. « Propter antiquitatem: » quia sicut thesaurus est pecunia, vel aliæ similes res abscondita a longo tempore; ita ab antiquis Patribus ac Majoribus bona opera jam sunt exercita, et nobis pro thesauro, id est, ad imitationem relicta. 3. « Propter præstantiam et valorem: » quia sicut thesaurus divitem, et beatum, omnibusque bonis affluentem facit hominem; ita ad ipsum multo copiosius, et sublimius bona opera faciunt, uti facile fusius ostendi potest. Excitentur proinde Auditores, ut nulli labori parcant in hoc thesauro comparando, et offodiendo. MATTH., vi, 20.

Ex occasione thematis: « Opera enim illorum sequuntur illos: » potest narrari, et explicari Parabola Barlaami de amico, qui ad judicem citatus, tres, quos habebat amicos rogavit, ut secum irent, et apud judicem defenderent; quorum primus (per quem divitias intelligebat) nonnisi indusium aut vestem, qua honeste legeretur, obtulit: alter (per quem consanguinei significuntur) nonnisi ad domum usque judicis, seu sepulcrum, comitabatur: tertius, quem minime sibi conciliare studebat (opera puta) usque ad judicium secutus est, fortiterque defendit. Excitentur proinde Auditores, ut hunc velut sincerissimum Amicum pluris æstiment, et ante omnes fovere per frequens exercitium studeant. *Apoc.*, xiv, 13.

Ex occasione thematis: « Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus: » Possunt bona opera oleo comparari, lampas vero anima dici. Et 1. quidem necessitas bonorum operum ostendi, quod scilicet, quam parum lumen sine oleo aut simili materia nutrirî, tam parum lumen gloriæ, et visio beatifica sine bonis operibus conservari possit. 2. Ostendi potest gaudium, quod ex lumine gloriæ per oleum bonorum operum accenso, vel obtento oritur, ubi fusius nuptiarum cœlestium, et beatitudinis æternæ jucunditas explicari potest. 3. Ostendi possunt mercatores, qui ejusmodi oleum vendunt, id est, occasiones variæ bonorum operum exercendorum proponi possunt, atque ad illas sollicite apprehendendas Auditores excitari.

salutem, quia sua intentione hoc primitus Domino libavit. L. IV, in *Fin.*, c. xiii.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Ecclesia, dum Epistolam recitari in Missa jubet, non frustra manus libro applicari præcipit, ut significet non sufficere audire verbum Dei, sed etiam manum applicandam esse, id est, opere complendum, quod lectum est. LYREUS, l. I. *Apoph.*, xiv.

Olim in Veteri Testamento non offerebantur pulli, nisi retorto ad collum capite, circa quem ritum S. Gregorius ait: Caput ad penulas retorqueri præcipitur, ut ea, quæ dicis, facias, et os ad opera conjungas: quid enim ait S. Prosper, agat domum dilectionis, si benevolentia sollicitudo non vigilet? S. GREG., h. vii, *Eze.*, S. *Prosp.*, apud LYR., l. c.

Maximum hoc est, et officium sapientiæ, et judicium, ut verbis opera concordent, et ipse par tibi ubique, ibidemque sis. Quis hoc præstabit? pauci aliqui tamen. SENECA, ep. xx. ENGELGR., in *Lucæ. Ev.*

NECESSITAS. — Cato Romanus neminem in civem Romanum admittebat, nisi qui callosas, et labore induratas manus haberet; sic neque Deus alios in cœlum admittit, nisi qui in bonis operibus strenue se exercuerunt.

UTILITAS. — Chiromante ex manibus hominis prosperam ei vel adversam fortunam annunciant; verius tamen ex operibus bonis manuum vel mentis, felix ei status æternitatis prædicatur. LYREUS, l. c.

Aristodemus, cum uxor ei geminos filios peperisset, ut de hærede regni Lacedæmonici judicare posset, atque adeo quis primogenitus esset, intelligere, ex insidiis arbitros observare jussit, quem ex geminis mater primum uberibus admovent, unis exciperet, oculis disuaviaret, sique ex hisce indicis primogenitus innotuit. Simili modo etiam noster erga Deum amor, et primi amici ex operibus cognoscuntur. *Ibid.*

S. Gertrudis divinitus edocta est, quod quandocumque aliquis scribit, vel alios doceat ea intentione, ut laus Dei per hoc promoveatur, et profectus animarum, tunc omnis profectus, quem unquam aliquis ex illa doctrina vel Scriptura etiam post mille annorum millia consequatur, cedit in illius

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. iii, cap. iii et ix, et opusc. v, c. iii et opusc. x, cap. viii. Item opusc. xi, cap. xxxii et cap. xvii.

Adrianus Lyreus, in *Apoph. Sancti Ignatii*, l. I, *Apoph.* xiv.

Thomas Stapletonus, text. iii et v, in *Dom. 7 post Pent.*, et text. vii, in *Dom. 12 post Pent.* Item, text. ii, in *Dom. Septuag.*

Hieremias Drexelius, in *Amissis*, seu *Recta intentione*, l. II, c. x.

Henricus Engelgrave, p. I, *Lucis Evang.*, embli. 39.

Mathias Faber, conc. iii, in *Dom. 7 post Pentecost.* et conc. v, in *Dom.*, 11 post *Pent.*, et conc. i, *Dom. Septuag.*

ORATIO.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est elevatio mentis ad Deum, ut eam S. Damascenus definit. S. DAMAS. l. III, de *Fide*. Vel, ut S. Augustinus, est locutio ad Deum: S. AUG., in *Ps.* lxxxv, quando enim legis, tibi loqueris Deus: quando oras, cum Deo loqueris. Fusius B. Baltas. Alvarez Soc. Jesu, orare, inquit, est spiritum suum ad Deum elevare, eique res suas omnes familiariter, magna cum reverentia communicare, sicut solet amicus cum amico, cui fidit. Ex quibus definitionibus Ludovicus Granatensis sequentia colligit præconia orationis: Oratio est « Elevatio » animæ supra se, et super omnia, cum creata sunt: « Unio » cum Deo, et in profundum immensæ suavitalis, et amoris Divini pelagus immersio. Oratio est « Exitus » animi ad recipiendum Deum, cum venit ad illum: trahit eum ad se tanquam vicinum: hospitio excipit in se tanquam in suo templo: ibi possidet eum, amat eum, et fruitor eo. Oratio est « Statio » animæ in presentia

Dei, et Dei in presentia animæ, dum aspicit ille animam oculis suæ misericordiæ, et hæc Deum oculis humilitatis, qui aspectus est majoris fecunditatis, et virtutis, quam ille omnium stellarum, et planetarum cœli. Oratio est « Cathedra » spiritualis, in qua anima sedet ad pedes Domini, audiens doctrinam ejus, et recipiens influentias misericordiæ ejus, dicens cum Sponsa in Canticis: Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Ibi accendit eam Deus suo amore, et ungit sua gratia, quæ sic uncta, et elevata in spiritu contemplatur, et contemplando amat, et amando gustat, et gustando quiescit, et in ista quiete omni fruitur gloria, quæ in hoc mundo haberi potest. Oratio est « Cibis animæ, » Deliciæ et Amplexus » Dei, « Osculum » pacis inter Sponsam, et Sponsam: « Sabbatum » spirituale, in quo Deus dulciter requiescit: « Domus » saltus Libani, in qua verus Salomon suis fruitur deliciis cum filiis hominum. Oratio est « Speculum » clarissimum, in quo Deus cognoscitur, cognoscitur et homo cum omnibus suis naviis, imperfectionibus et miseriis. Oratio est « Exercitium » quotidianum multarum virtutum, « Mortificatio » appetituum sensualium, « Fonsque » omnis boni propositi, et desiderii. Oratio est « Lac » incipientium « Cibis » proficientium, « Viaticum » peregrinantium, « Portus » periclitantium, « Adminiculum » triumphantium. Oratio est « Medicina » infirmorum, « Gaudium » afflictorum, « Fortitudo » debilium, « Remedium » peccatorum, « Delectatio » iustorum, « Auxilium » vivorum, « Suffragium » mortuorum, et « Commune » totius Ecclesiæ, « Subsidium. » Oratio est « Porta » regalis per quam ad cor Dei ingreditur, « Primitiæ » futuræ gloriæ: « Manna » in se habens omnis dulcedinis suavitatem: et « Scala » Jacob, per quam Angeli ascendunt portantes supplices nostros libellos ad Deum, et descendunt reportantes ad nos negotiorum nostrorum expeditiones. LUD. GRA., l. III, de Or., c. 1.

DRIVISIO. — Dividitur potissimum in « Vocalem » et « Mentalem. » Vocalis dicitur, quæ non animum tantum, sed et linguam occupat, quando scilicet animus, et lingua velut gemini legati se Deo sistunt, et causam suam juncta opera perorant. Mentalis est, quæ lingua silente cor evocat ad secretum cum Deo colloquium. DREX, in *Rosis mar.*, p. 1, c. ix, § 1.

Vocalis subdividitur in « Publicam, » qua nomine totius populi in Ecclesia a Sacerdotibus peragitur, quod fit, dum Horas Canonicas recitant. Et « Privatam, » quam singuli privatim quocumque loco peragunt, juxta monitum S. Pauli: Volo ergo viros orare in omni loco. I TIM., II, 8.

Mentalis subdividitur in simplicem « Cogitationem » quæ est momentanea enjuspian rei consideratio: « Meditationem, » quæ est sedula, et affectuosa rerum rimatio: et « Contemplationem, » quæ est inspectio rei sine discursu. De quibus sic loquitur Hugo de S. Victore: Cogitatio vaga incesu semper hoc, et illud divertit, sed meditatio destinata promotione semper in ulteriora tendit. Contemplatio autem est libera mentis perspicacia in Sapientiæ speculo cum admiratione suspensa. Meditationis est perscrutari occulta, Contemplationis admirari perspicua. RICH. DE S. VICT., l. I, de *Contemp.*, p. III. HUGO, l. III, de *Anim.*

ACTUS. — « Magnam de Deo ejusque perfectione, ac dignitate æstimationem concipere. »

« Ob easdem perfectiones eum laudare, et benedicere; » ad imitationem Seraphinorum clamentium: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. ISA., VI, 3.

« Per cantica spiritualia gaudium suum de ejus gloria, ac bonitate conceptum profiteri, » ad modum Sanctorum dicentium: Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei. APOC., XIX, 6.

« Eundem adorare, » seu Auctorem omnium honorum voce, et exteriori corporis submissione confiteri ad imitationem viginti quatuor Saniorum cadentium, et adorantium Deum sedentem super thronum, et dicentium Alleluia. IB., 4.

« Gratias illi pro beneficiis acceptis agere, » et propterea benedicere, ac dicere cum iisdem Senioribus: Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in secula sæculorum. APOC., VII, 12.

« Ad similem benedictionem creaturas, invitare, » juxta exemplum trium puerorum Caldæorum in fornace existentium, et dicentium: Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, et superexaltate eum in secula. DAN., III, 57.

« Deum in sanctis suis laudare, » juxta

illud Davidis: Laudate Dominum in Sanctis ejus. PS. CI, 4.

« Varias ab eo gratias, et dona petere, » juxta illud Christi: « Petite, et accipietis: quærite, et invenientis: pulsate, et aperietur vobis. LUC., XI, 9.

« Divinas ejus perfectiones, aut mysteria vitæ Christi et Sanctorum cum convenientibus afflictibus, et imitationis proposito meditari, » juxta exemplum Isaac deambulantis per viam, quæ ducit ad Puteum, cujus nomen est viventis, et videntis, et egredientis ad meditandum in agro. GEN., XXIV, 68.

« Easdem perfectiones aut mysteria cum admiratione, et spiritus suavitate absque discursu contemplati, juxta illud Davidis: » Gustare, et videte, quoniam suavis est Dominus. PS. XXXIII, 3.

GRADUS. — Primus est cum labore, et difficultate mentem ad Deum elevare, et precari.

Secundus est, magna cum felicitate, et delectatione mentem etiam inter ipsas occupationes ad Deum attollere, sique implere illud Christi: Oportet semper orare, et non deficere. LUC., XVI, 1.

Tertius est in tali elevatione passivo se magis, quam activo habere, quemadmodum de S. Ignatio Ribadeneira testatur. VIT., l. V, c. II.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS PREPARATIONIS. — Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum. ECCL., XVIII, 23.

Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam. PROV. XVI, 1.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis ejus audivit auris tua. PS. X, 17.

FIDELI. — Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hesitans. Qui enim hesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quod accipiet aliquid a Domino. JAC., I, 5.

Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis. MATT., XI, 24.

SPERE. — Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum. PS. LXXI, 9.

Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærenti illum. THIR., III, 23.

Charissimi, in cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo. I JOAN., III, 21.

CHARITATIS. — Subditus esto Domino, et ora eum. PS. XXXVI, 7.

Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat: neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat: sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos, et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne audiret. Manus enim vestræ pollute sunt sanguine, et digiti vestri iniquitate. IS., LIX, 1.

Opposuisti nubem (peccatorum) tibi, ne transeat oratio. THIR., III, 44.

Scimus, quia peccatores Deus non audit; et si quis cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. JO., IX, 31.

Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque voleritis, petetis, et fiet vobis. JOAN., XIII, 7.

HUMILITATIS. — Humilium, et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. JUD., HOM., IV, 16.

Oratio humiliantis se penetrabit nubes, et donec propinquet, non consolabitur, et non discedet, donec Altissimus aspiciat. ECCL., XXXV, 21.

Respexit in orationem humilium, et non sprevit preces eorum. PS. CI, 18.

Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, et cinis. GEN., XVIII, 27.

ATTENTIONIS. — Orabo spiritum, orabo et mente. I COR., XIV, 15.

Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare. JOB., IV, 24.

Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hæc.

Descenderuntque volucres super cadavera (in sacrificio oblata) et abigebat eas Abraham. II REG., 27.

FERVORIS. — Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. GEN., XV, 1.

Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. PS. CXL, 2.

PERSEVERANTIE. — Oportet semper orare, et non deficere. LUC., XVIII, 1.

Hi omnes Discipuli erant perseverantes

inanimiter in oratione cum mulieribus, et Matre Jesu. ACT., I, 14.

Et si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi, quotquot habet necesarios. LUC., XI, 8.

ASSIDUITAS. — Non impediari orare semper. ECCL., XVII, 22.

Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis. LUC., XXI, 36.

Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. TOB., IV, 20.

Orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione. COL., IV, 2.

TEMPORIS. — Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. ECCL., XXXIX, 6.

Oporet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad orientem lucis te adorare. SAP., XVI, 2.

Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præordiis meis vigilabo ad te. IS., XXVI.

Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuæ. PS. CXVIII, 26.

AFFLICTIONIS. — Bona est oratio cum jejuniis. TOB., XI, 8.

Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes perseveraveritis in jejuniis, et orationibus in conspectu Domini. JUD., IV, 11.

Operiantur saccis homines, et jumenta; et clamant ad Dominum in fortitudine, et convertatur vir a via sua mala. Quis scit, si convertatur, et ignoscat Deus? JOAN., III, 8.

Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei, exaudita sunt verba tua. DAN., X, 12.

PRO QUIBUS. — Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt constituti. I TIM., II, 1.

Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate prosequentibus, et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cælis est. LUC., VI, 28.

Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justis assidua. JAC., V, 16.

IN CHRISTI NOMINE. — Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, et glorificetur Pater in Filio. JOAN., XIV, 23.

Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. JOAN., XVI, 23.

NECESSITAS. — Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. JOAN., XVI, 24.

Hoc genus dæmoniorum non ejectionis, nisi per orationem, et jejunium. MATTH., I, 22.

Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem. MATTH., XXVI, 41.

UTILITAS. — Si ergo vos, cum sitis mali, notis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit Spiritum bonum petentibus se. LUC., XI, 13.

Plorans nequaquam plorabis: miserans miserabitur tui, ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit. IS. XXX, 49.

Tu si diluculo consurrexeris ad Deum, et omnipotentem fueris deprecatus, sit mundus, et rectus inaccessis, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ. JOB., VIII, 5.

DIGNITAS. — Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos, appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. DEUT., IV, 7.

Ergone putandum est, quod vere Deus, habitat super terram? si enim cælum, et cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc. III REG., VIII, 27.

JUCUNDITAS. — Intrans in domum meam conquesceam cum illa (Deitate) non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiæ, et gaudium. SAP., VIII, 16.

MEDITATIO. — Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. ECCL., IV, 22.

Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. Mane astabo tibi, et videbo. PS. V, 5.

Consurge, lauda in nocte, principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas.

Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se. TREN., III, 28.

In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar sermones tuos. PS. CXVIII, 15.

Testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ. IS., 24.

Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi. IBID., 42.

Concaluit cor meum intra me, et in meditatione me exardescit ignis. PS. XXXVIII, 4.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

QUALITAS. — «Oratio,» si ipsius naturam seu quidditatem spectes, «est familiaris conversatio, et conjunctio hominis cum Deo.» S. CLEM., Grad. 38.

Humilitas, et Charitas, spirituales orationis sunt alæ, quarum remigio usque ad interiora ingreditur velaminis, ubi Verbum in sinu residens paterno æterna virtute generatur. S. LAUR. JUST., de Casto connub., c. XXII.

Ille veram Deo orationem exhibet, qui semper sit, quia pulvis sit, humiliter videt. S. GREG., in c. I Joan.

Orare oportet reverenter, tam mente, quam corpore, id est, humilem debet reverentiam servare interius et exterius; parum quippe prodest orare, et caput inclinare, atque pectus exterius tundere, nisi orans inclinet, et humiliet interius mentem. S. BERN., s. in Regul.

Magna prorsus est orationis virtus, divino conspectui oblata per Angelos, si tamen sit charitate ignita, fide plena, intentioni rectæ subnixâ, humilitate sociata, a delictorum sordibus impolluta, bonisque operibus decorata. S. LAUR. JUST., de Perf. Gra., c. XII.

Perfecta est oratio, cum preces justitia commendat. AGELLUS, in s. XVI.

Omnipotens Deus orationem illius in tribulatione non audit, qui illius præcepta in operatione adimplere contemnit; dignum quippe est, ut ab ejus beneficiis quisque sit extraneus, cujus jussionibus non vult esse subjectus. S. LAUR. JUST., de Or., c. IV.

Omnes male viventes, etsi lingua taceant, vita Domino maledicunt; quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? S. AUG., in I. CI.

Si vis benedicere Domino fac verbum ejus, dicit enim David: «Benedicite Do-

mino omnes virtutes ejus, qui facitis voluntatem ejus.» IDEM.

Bene odor vestimentorum tuorum, sicut thuris, esse perhibetur, quia in omnibus operibus suis orat, dum perveniendi intentione ea, quæ potest, bona operatur. S. GREG. in c. IV Cant.

Si Deum ferventer orare volumus, illi tripliciter adhærere debemus, videlicet per fidem, spem, charitatem: fides enim orationem dirigit, spes erigit, charitas porrigit. S. BONAV., in Ps. CXVIII.

Oratio tua locutio est ad Deum: quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, cum Deo loqueris. AUG., super PS. LXXXV.

Talis requirendus est ad orandum, qui sit idoneus ad placandum, quia si is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocat. GREG., in Gast.

Oratio ad eos sanctos præcipue fiat, quibus orans magis afflictor. BERNARD., super Cant., serm. XXXV.

ATTENTIO, ET EJUS QUALITAS. — Non plus delectatur Deus in oratione vocali sine attentione mentali, quam in garritu avium, vel in grunntu porcorum: orans Psalmista dicit Domino: «Intende voci orationis meæ, Rex meus, et Deus meus.» Et alibi: «Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ:» sed si tu ipse non attendis tibi, quomodo speras Deum intendere tibi? BELLOV., p. Spec. mor., 13, dist. XXIII.

Quomodo probabitur congregatus, si a semetipso cogitationum evagatione dispersus est? aut quomodo erit Deus in medio tui, si tecum ipse non fueris? si deest ille, qui poscit, quomodo aderit ille, qui poscitur? quomodo suscitabitur Judex, si dormitaverit Advocatus. EUS. EMY., s. in Luc.

Cum amico colloquens cum attentione illud facis, cum Deo autem de peccatis tuis agens, et condonationem postulans, et veniam orans, subinde torpescis, genibusque humi positus, sæpe pro forum, sæpe per ades mentem tuam divagari finis, ore tuo interim temere, inaniterque garriente. S. CHRYS., t. I, tr. IX, c. XXII.

Quantum est oratio, quo sanantur pestes, et ulcera animæ, quæ in se suis est. Muscæ sunt importune cogitationes volatiles, quæ menti occurrunt, quæ tunc moriuntur, cum permanent, et odorem perdunt, id est, destrunt suavitatem, et con-

solutionem orationis. S. ANT., p. IV, *Sum.*, c. VIII, § 8.

Sæpe in ipso orationis sacrificio importuna se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare contendunt, quod in nobis Deo flentes immolamus: unde Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit; sic nos cum in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucris custodiamus, ne maligni spiritus, et perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat. S. GR., l. XVI, *Mor.*, c. XIX.

Orantes de membris sui corporis faciant, quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternunt solo, et si quid aliud visibilibus faciant: quamvis eorum invisibilis voluntas, et cordis intentio Deo nota sit, nec ille indiget his indicis, ut ei humanus pandatur animus; sed his magis seipsum excitat homo ad orandum gemendumque humiliter atque ferventius; et nescio quomodo, cum hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente non possint, eisdemque rursus exterius visibilibus factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui, ut flerent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit. S. AUG., l. de *Cura pro mort.*, c. 1.

Tunc in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitur; tales orationes rare sunt multis, crebræ paucis utrum ne cuiquam nescio. S. AUG., super *Ps. LXV.*

Si quis intendat ita animam suam in singula verba Psalmorum, sicut gustus est ad discretionem saporis ciborum, iste est, qui complet, quod dicitur: « Psallite sapienter. » IDEM.

Mens nostra celestis est, et tunc orando Deum bene contemplantur, quando nullis terrenis curis aut erroribus impeditur. S. ISID., l. III, de *Summ. bono.*

Vis loqui cum Deo? attende sis. Vis audiri? te ipsum prius, quid loquaris, audi. Nec sic properes, ne frustra ores. S. EPIPH., t. II.

Magnam injuriam Deo facio, cum illum precor, ut meam precem audiat, quam ego, qui fundo, non audio. Deprecor illum, ut mihi intendat, ego vero nec mihi, nec illi intendo: quod deterius est, inutilia, et imunda in corde versando, fetorem horri-

bilem ejus aspectibus ingero. S. BERN., l. de *Anim.*, c. VIII.

Unde vos moneo, dilectissimi, pure, semper, et strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut, sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, et remissis vocibus muliebri quiddam balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, et sonitu, et affectu voces sancti Spiritus deponentes. Pure vero, ut nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitis. Spiritus Sanctus illa ora gratiarum non recipit, quicquid aliud, quam debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris. IDEM, s. XLV, in *Cons.*

Omnes homines sunt ita affecti, ut illis studeant, et opitulari, et attendere, quos viderint nequaquam dormientes, neque ignavia deditos, sed qui ipsi se præparant, et instruunt, et prompti sunt ad officii partes peragendas. Qua igitur fronte tu postulare audes, ut dum ipse dormis, nullaque salutis tuæ cura tangeris, insuperabile auxilium celeste ad te advolet? cumque voto frustratus fueris, egre fers? Præcedat ilaque ea, quæ a te exiguntur, et tunc demum, quæ sunt auxilii divini subsequantur. S. ISID., l. IV, *epist.* XII.

NECESSITAS. — Instabilis est bonorum operum structura, quæ devota orationis frequentia non compingatur. S. BONAV., de *Sec. alis.*

Cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida vehementique cura teneri, continuo mihi palam est, eum nihil egregiæ dotis possidere. Et quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, et vita carens, expersque sanæ mentis; nam hoc ipsum est evidentissimum argumentum amentia, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium. S. CHRYS., l. I, de *Or. Deo.*

Munus suum ut præstet, magis opus est orationum, quam Oratoris facultate, ut orando pro se, et pro illis, quos est allocutus, sit Orator ante, quam dicator. S. AUG., l. IV, de *Doct. Chris.*, c. XV.

Arbitror, emetis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precatio- nis præsidio cum virtute degere, cumque hac vitæ hujus cursum peragere. Etenim

qui fiat, ut virtutem quis exerceat, nisi continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur homini. S. CHRYS., l. I, de *Or. Deo.*

Sceleratissimi spiritus continenter obambulant observantes nos, ut si quem deprehenderit nudatum deprecationis præsidio, protinus abripiant. IDEM.

Cesset oratio, quoties deest necessitas, quoties tibi nullum imminet periculum ipsa etiam morte gravius. Sed si nescis: Militia est vita hominis super terram, et continua collectatio adversus nequitias spirituales. Neque aliud forte discrimen gravius potest, aut periculosius inveniri, quam dissimulatio ipsa periculi. Numquam deest igitur orandi necessitas, ubi numquam est vera securitas. GALFRIDUS ap. NIER., l. I, *Doct. as.* c. LXXIV, *Doct. asc.*

Nullo alio modo Deus ad misericordiam flectitur, quam si animus deprecantis ad eum toto devotionis affectu convertatur. S. BERNAR., de *Inter. dom.*, c. XLVIII.

Inter alia, quæ Sapientia Dei, Christus Dominus noster, in toto sancti Evangelii decursu, summa cum sollicitudine nobis commendavit, oratio præcipuum locum habet, ejus usus, et exercitium homini christiano adeo est proprium, ut Deus propter ipsam eos ab omnibus mundi nationibus dissimiles facere voluerit. Domus mea, inquit Redemptor, domus orationis vocabitur. S. CAROL. BORROM.

Quando dæmones vident Religiosum externis corporis ministeriis distractum, non posse precibus operam dare, invadunt ipsum gravissime, et turpissimas cogitationes objiciunt, quibus illum ad ruinam compellant. S. CLEMENS, *Grad.* XV.

Sciendum, quod inter omnia opera, quæ possumus in hoc mundo facere, necessaria est devota oratio ad Deum. Ratio, quia certum est, quod omnia bona tam temporalia, seu corporalia quam etiam spiritualia, habemus a Deo: Nam « omne datum optimum, » scilicet bonorum temporalium, et corporali- um, « et omne donum perfectum » scilicet (ut glossa ait) bonorum spiritualium, « decursum est, descendens a Patre luminum » id est Angelorum. Si ergo vis rigare hortum tuum de alio fonte, oportet ponere canalem, per quem aqua venit ad hortum; ita etiam si vultis, quod aqua gratiarum Dei veniat ad vestrum campum, hortum, vineam, domum, corpus, et animam, de fonte ab

alto spiritus sapientia, verbum Dei in excel- sis, ponatis canalem, scilicet orationem devo- tam: mediante ista veniunt ad vos bona temporalia, corporalia, et spiritualia. S. VIN- CEN. FERR., s. VI, *Dom. s. post Trin.*

Nihil tam validum reperitur ad hostium nostrorum conterendam rabiem, quam orationis perseverans opus: sed quia alia negotia hoc minime permittunt, non prætermittenda, sed intermiscenda est nostris oratio actionibus, quamvis magna voce ipse clamet ad Dominum, qui etsi lingua taceat, bonis tamen operibus perseverat; con- tendendum tamen est, ut in primordio saltem ejusque operis dirigatur oratio: quia, sicut militem procedere ad conflictum non congruit sine armorum protectione, ita et homini christiano absque orationis munime aliquid agere non licet. Egreddentem igitur de hospitio armet oratio, regredientem de platea comitetur, cum ambulante ambulet, cum operante collaboret, nec prius corpusculum requiescat in strato, quam anima precibus reficiatur. S. LAUR. JUSTIN., de *Orat.*, c. VI.

Magnum negotium habet homo tractare in curia summi Regis: anima vero in corporis carcere detenta non potest illuc ascendere, nec coram eo sua negotia procurare; ideo opus est, quod ad illam nuncium suum, id est, orationem dirigat, quæ vicem ejus gerat, et ejus negotia procurat: unde Psalmista ait: « Intret oratio mea in conspectu tuo: » ubi Glossa Augustini dicit: Magna virtus puræ orationis, quæ quasi quidam nuntius intrat, et ibi negotia peragat, quo caro pervenire nequit. BELLOVAC., *Spec. mor.*, p. X, lib. III, dist. XXXIV.

Qui sumus nos, aut quæ fortitudo nostra, ut tam multis tentationibus resistere valeamus? Hoc erat certe, quod quærebat Deus, hoc erat, ad quod nos perducere satagebat, ut videntes defectum nostrum, et quod non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam tota humilitate curramus. Propterea rogo vos, fratres, ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium. S. BERNAR. ser. V, de *Quadr.*

Quod si te ipsum destiteris precatio- ne, perinde feceris, ac si piscem ex aqua extra- xeris; ut enim pisci vita est ex aqua, ita tibi deprecatio. S. CHRYS., l. II, de *Or. Deo.*

UTILITAS. — Multiplex est orationis utili- tas, quibus etiam alias bonas actiones ipsa excellit. Prima, quia facilius, et citius per

eam impetramus, quæ a Deo desideramus, ita ut quandoque citius brevi oratione aliquis obtineat, quod diutinis jejuniis vel aliis laboribus, et piis operibus vix obtineret, licet et alia bona opera ad hoc aliquatenus suffragentur; unde in omni casu, in omni periculo, pro omni desiderio desiderato semper inveniemus Sanctos principaliter ad orationis subsidium refugisse, quasi ibi promptius, quod petebant, consecutus. S. BONAV., *de Prof. rel.*, l. II, c. LXVIII.

Orationis virtus hominem illuminat; nam, et oratione melius solvuntur dubia, quam inquisitione alia, citiusque panduntur secreta precibus, quam studio. S. LAUR. JUST., *de Or.*, c. II.

Orationis arte (Judith) arma victricia fabricavit, quibus adversa confingeret, ut pavescerent viros femina vindicaret, ubi enim assiduis orationibus pulsatur Cœlum, potentia semper calcatur armorum. S. AUG., s. XXVII *de Tem.*

Oratio Ecclesie murus est, qui rumpi non potest, munimentum inconcensum, demonibus quidem formidabile, piis vero, nimirum nobis, tutum ac saluiferum. S. CHRYS., l. II *de Or.*

Oratio longius vulnerat, quam sagitta: sagitta enim non nisi proxime conspectum vulnerat adversarium; oratio autem etiam longius positum vulnerat inimicum; sic namque Elisæus Propheta, cum eum vellet Rex Syria captivare, ac suæ subdere potestati, multisque eum armatorum cinxisset agminibus: non est territus, sed annunciantium pueri ait: «Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.» S. AMBR., s. 1, *de Elisæo.*

Cuncta revera celestium armorum genera divinis precibus continentur, quæ vel sola possunt eos tueri, qui se Deo tradiderunt; nam peditem quidem robur, atque peritiam, sagittariorum experientiam, in prodendo hoste calliditatem, saepe vel hostilibus obtutus, atque adversariorum ardor animi, aliaque præterea inanem reddunt: at precatio telum est insuperabile, tutumque presidium, quod æque militem unum, ac multa millia profligat. S. CHRYS., h. LXVII.

Est oratio similis seuto; quod divinæ indignationi debemus opponere; nam sicut scrutum prohibet ictum lanceæ vel sagittæ, sic oratio servat a lancea, vel sagitta, sic oratio servat a lancea, vel a sagitta sententiæ iræ Dei: unde dicitur de Aaron, quod

proferens scutum orationis restitit ira. S. BONAV., *diet. Salsit.* 8, c. v.

Oratio placat Deum, lætificat Angelos, recreat Sanctos, penetrat cœlos, postulata reportat, terret demones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem. S. LAUR. JUSTIN., *de Perf. gr.* c. XII.

Diabolus, cum nequam sit, et noverit, quod orationis tempore res magnas conficiamus, tunc nos aggreditur (saepe enim in lecto supini jacemus, et nihil cogitamus; venimus ad orandum, et mox infinitæ cogitationes sese ingerunt) ut non fructu illius vacuos, et penitus in irritum laborare faciat. S. CHRYS., IV, h. *de Or.*

Quando quisque orat, Sanctum ad se Spiritum advocat, at ubi venerit, confestim tentamenta dæmoniorum, quæ se mentibus humanis immergunt, præsentiam ejus ferre non sustinentes, effugiunt. S. ISID., l. III, *Sent.*, c. III.

Non est mirum, si tentationibus succumbat frequenter, et miserabiliter, qui studium orationis non frequentat. Unde B. Isidorus dicit: Hoc est remedium ejus qui vitiis incitamentis aestuat, ut quoties quolibet vicio tangitur, toties ad orationem fugiat, quia frequens oratio vitiis impugnationem extinguit. *Ibid.*

Sæpe contingit, ut, quæ studio nostro corrigere non possumus, ea per preces efficere valeamus. S. CHRYS., in *Ps.* v.

Oratio est animæ sanctæ presidium, Angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium. Vid. et ejus Gloss. in *Ps.* LXVIII, supra n. 36, cit. S. AUGUST., in *Serm.*

Quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex charitate suffragatur, et pro semetipso tanto citius exaudiri meretur, quanto magis devote pro aliis intercedit. S. GREGORIUS, in *Moral.*

Nihil potentius homine orante. Qui orat cum jejuniis, duplices alas habet, nam neque aberrat, neque torquet. S. CHRYS., sup. *Mat.* XVIII.

Psalmus est tutela pueris, juvenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus aptissimus decor. Incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum. V. BIDA., in *Hexam.* l. IX.

Recte novit vivere, qui recte novit orare. S. AUGUST., hom. 40.

Nunc autem manent tria hæc, verbum, exemplum, oratio; major autem horum oratio, ea namque operi, et voci gratiam, et efficaciam promeretur. S. BERN., *ep.* CI.

Cum videris non a te amotam deprecationem, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus. Hinc Psalmista ait: Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me. S. AUG., in *Ps.* LXV, v. 46.

Nemo repente fit summus: ascendendo non volando summitas scalæ obtinetur. Ascendamus duobus veluti pedibus, meditatione, et oratione; illa docet, quid desit; hæc, ne desit, obtinet; illa viam ostendit, hæc deducit; illa imminuit nobis pericula agnoscimus, ista evadimus. S. BERN., in *Scala claustrali* s. 1, *de S. Andr.*

Quid possit inveniri sanctius his, qui cum Deo commercium habent? quid porro justius? quid ornatus? quid sapientius? Etenim si qui cum sapientibus viri colloqui solent, propter assiduum consuetudinem brevi sic transmutantur, ut illorum prudentiam referant, sed dicere convenit de his, qui divina consuetudine fruuntur et cum Deo sua colloquia miscunt, ei sua vota deferentes? quanta sapientia, virtute, prudentia, bonitate, sobrietate, morum aequitate replet illos precatio, et obsecratio. S. CHRYS., l. VIII, *de Deo.*

Age jam, et illud exponamus vobis, quam multis Sanctis datum sit, deprecationis presidio servare non solum gentes ad civitates, verum etiam orbem universum. In mentione vero deprecationis primus occurrit Paulus, ille insatiabilis Dei cultor, ille custos orbis terrarum, qui per deprecationem ac assiduam obsecrationem omnes gentes salvas fecit, semper illud dicens nobis: Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini mei Jesu Christi. S. CHRYS., l. c.

Oratio justi clavis est cœli. Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum cœlum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam. S. AUG., c. CCXXXVI.

Aptissima arma oratio est, thesaurus certe perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis, denique auctor, parens, fons, et radix honorum omnium, et innumerabilium oratio est, atque etiam regia facultate potior, et superior. S. CHRYS., hom. v, *de Nat. Dei.*

TOMUS III.

Petitio Deo facta magnus est fructus: et qui petit a Deo, dum petit, accipit; ipsum namque petere est accipere. S. AMBR., *ep.* LXXXIV, *ad Demet.*

DIGNITAS. — Quantæ dignitatis sit, hominem cum Deo miscere sermonem, neminem latet. Cæterum eam dignitatem ratione consequi, nemo prorsus valet: quandoquidem hic honos etiam Angelorum superat majestatem, quod ipsi probe intelligentes, apud Prophetas describuntur omnes multo cum tremore, laudes et cultum Domino offerentes, facies quidem ac pedes ob ingentem reverentiam tegentes, volatu vero dum non valent quieti manere, magnum tremorem declarantes, nimirum, et nos inter ducentes, ut tantisper dum oramus, humanæ naturæ obliviscamur, et occupati mentis alacritate, simul et tremore, nihil respiciamus rerum præsentium, sed existimemus nos in Angelorum medio consistere, idemque sacrificium cum illis peragere. S. CHRYS., l. II, *de Or. Deo.*

Orare, commune est opus Angelorum pariter, et hominum; neque quidquam interest inter nostram naturam, et illorum, quod attinet ad deprecationem. Hæc te separat a mutis animantibus, hæc te sociat Angelis, quin facile fiet, ut quis in illorum vitam, et consortium, ad illorum honorem, nobilitatem, sapientiam, et intelligentiam, qui per omnem vitam precibus, et divino cultui vacare studuerit, *Ibid.*

Quis non obstupescat, et admiretur tantam benevolentiam Dei erga nos, ut mortalibus tantum honoris largiatur, et dignos habuerit, qui cum ipso colloquamur nostræ vota apud ipsum deponamus? Nam vere profecto cum Deo fabulamur quoties vacamus deprecationi. S. CHRYS., l. I, *de Or. Deo.*

In æstimationis meæ lancibus gravior pensat sanctæ orationis obolus, quam auri talentum vel copiosam micanitium multitudinem gemmarum. S. DOM., l. VI, *ep.* n.

Non est alia, in tota vita humana, pretiosior oratione possessio. S. EPIPHAN., *de Or. Deo.*

Magna quippe dignitas orationis; mox ut ab ore processit, suscipiunt eam Angeli manibus suis, et offerunt Deo. S. CHRYS.

Hæc segregaris a peccatoribus: hæc te Angelicæ illorum vitæ, vivendique rationi, dignitati, nobilitati, sapientiæ, intelligentiæ

adjungetur, qui omnem sibi vitam in precibus ponendam putavit. S. CHRYS., h. LXVIII.

In oratione Deum alloquimur, et audimus, et quasi Angelicam vitam agentes inter Angelos conversamur. S. FRANCOIS, *opus*, t. III, coll. xv.

Honorabile est officium orandi, quia, qui orat, cum Deo loquitur; magnus honor est loqui frequenter cum magno aliquo Principe, major cum Rege, multo fortius cum Rege Regum. Magna est orationis dignitas, quia ipse Deus, et tota curia celestis intenta est audire orationes nostras, et delectantur in eis, BELLOVAC., in *Spec.*, dist. XXXII.

Ad orandum movere nos debet cultus ejus nobilitas, quia non est officium rusticorum, ut fodere, arare, putare, etc. Sed est officium Filii Dei, et Matris ejus et officium Sanctorum, et Angelorum; Filius enim Dei, et Mater ejus hoc officium habuerunt, et exercuerunt et Sancti ejus specialiter in terris idipsam exercent, et retinent in caelis, ut orent tibi incessanter pro nobis. *Ibid.*

JUCUNDITAS. — Oratio, mœroris omnis refugium, hilaritatis argumentum, occasio perpetua voluptatis: oratio, portus tempestate jactatis, fluctuantibus anchora, scipio titubantibus, pauperum thesaurus, divitum securitas, morborum curatio, custodia sanitatis. S. CHRYS., hom. x.

Orando bibitur vinum spirituale, lætificans cor hominis, vinum scilicet Spiritus Sancti, quod inebriat mentem, et carnalium voluptatum infundit oblivionem: humectans interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, et deducit per quaedam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansque charitatem, et mores impingans. S. BERNARD., ap. LUDOV. GRAN., l. III, de *Or.*, c. VIII.

Nihil est, quod dulcius in hac vita sentitur, majore cum gaudio percipitur, corda hominum fortius ab amore disjungit: nihil animum munit potentius, nihil hominem ad quævis bona opera facienda, et quasvis tribulationes perferendas reddit alacriorem studio contemplationis vel orationis. S. BERNARD., ap. eund.

ASSIDUITAS. — Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris. Frigus charitatis silentium cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas. Si semper

clamas, semper desideras: si desideras, requiem recordatis. Semper orat, qui semper vitam beatam, æternam desiderat. S. AUG., in *Ps.* XXXVI.

Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, et raplim quodammodo jactatas, ne illa vigilantem erecta intentio per productiones moras evanescat. S. AUG., ad *Prob.*, c. x.

Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea occurat ante, quam sessio, nec prius corpusculum requiescat, quam animam pascat. S. IBERON., in *Epist.*

Utiles censent (Patres antiqui) breves quidem, sed creberrimas orationes fieri, ut frequentius Dominum deprecantes jugiter eidem coherere possimus. Cass., l. II, *Inst.*, c. x.

Ait Propheta: « Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; » quo fit, ut Patres hominis cum Deo conjunctionem orationem esse definiant, eamque Angelorum opus, ac futuræ lætitiæ prælium appellent; siquidem in hoc potius, quam in ullis aliis rebus situm esse celorum regnum censent, ut ad sanctam Trinitatem appropinquet, eamque contempletur; quam quidem ad rem cum precandis assiduitas mentem velut manu ducat, non abs re beatitudinis illius prælium, ac veluti effluvia quaedam appellata est. S. JOAN. DAMASC., cap. x, *Hist. Josaphat.*

Ait Apostolus: « Volo viros orare in omni loco levantes puras manus: » et Dominus dicit in Evangelio: « Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum; » non tibi videtur esse contrarium, ut dicat Apostolus: In omni loco ora: et Dominus dicat: Intra in cubiculum tuum, et ora: sed non est contrarium, etsi aliud Paulus videtur dicere, aliud Dominus. Numquid potuit Paulus contra Christi docere præcepta? non utique: qua ratione? quia non contrarius, sed interpres est Christi; quid ergo? potes utique orare, et in cubiculo tuo semper orare; habes ubique cubiculum tuum. Et si inter Gentes, inter Judæos positus sis, habes tamen ubique secretum cubiculum tuum: mens tua est, in populo licet positus, tamen in interiori homine arcanum tuum, secretumque conservas. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum: bene addit, intra, nec sic ores, quomodo Judæus, cui dicitur: « Populus

hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me: » non ergo de labiis tantummodo intra procedat oratio: animo totus intende, intra in recessum pectoris tui. S. AMBR., lib. VI, de *Sacr.*, c. III.

Quando aliquem cerno, qui, non precari assidue, in magnis numeret detrimentis, omnium illum virtutum accerrimum cultorem, Deique templum esse conjicio. S. CHRYS., hom. LXVII.

PERSEVERANTIA. — Oratio debet esse continua, ut sicut numquam deficit pugna, sic numquam cessemus petere misericordiam; numquam miles existens in pugna deponit arma ante obtentam victoriam: arma nostra sunt orationes. S. BONAV., ser. XXVII, de *Confess.*

Pertinax oratio perfringit ad finem. Et si tibi in initiis siccæ et velut saxæ videatur, oleum tamen gratiarum de hoc durissimo saxo, modo perseveres, modo te longior mora non dissolvat, modo tua vota dilatione non lentescant. Cave, ne illud tibi de Evangelio impropere: Sic non potuisti una hora vigilare mecum? Quod si torpor abest, vide, ne dilationis tedium te fatiget, et desiderium tuum infringat. Utrobique reatus est, si sit anima vel in postulatione remissa, vel deficiens in expectatione. GILBERT., ser. VI, in *Cant.*

Munificentissimus est et angustissimus Rex noster, et indigne fert, quodcumque qui exiguum aliquis a se petit, quodcumque aliquis de rebus ipsum minime ipsi convenientibus rogat. Noli igitur illum oratione tua iratum facere, sed ea petito tibi, quæ digna sunt Rege, et Deo: hæc autem petens ab eo, ne prius recesseris, quam quod petis, impetaveris. S. BASIL., c. II, *Monast. constit.*

Vult Deus rogari, vult cogi, vult quædam importunitate vinci. Ideo tibi dicitur: « Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud. » Esto igitur sedulus in oratione: esto in precibus importunus: cave, ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto Reptor, ut regnum celorum accipias: esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas caelis. Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur, proximus non læditur, sed juvatur, peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, qua non quaritur lucrum cito periturum, sed regnum acquiritur sine fine mansurum. S. GREG., hom. I, in *Evang.*

Ne deficias in oratione: Deus, quod concessurus est, etsi differat, non aufert. Non levitate utitur, qui promisit: non facile de sententia movetur: quod promisit, est fixum: fallere non potest: habet, unde faciat. S. AUG., super *Ps.* LXV.

Ecco stat, qui ante transibat: quia dum adhuc turbas phantasmatum in oratione patimur, Jesum aliquatenus transeuntem sentimus. Cum vero orationi vehementer insistimus, stat Jesus, ut lumen restituit, quia Deus in corde igitur, et lux amissa reparatur. S. GREG., in *homil.*, sup. *Ev.*

Nemo nostrum parvipendat orationem suam; dico enim vobis, quod ipse, ad quem oramus, non parvipendit eam: postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribitur in libro suo et unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus, aut quod novit utilis. S. BERN., ser. V, de *Quad.*

Orandum est semper, etiam cum accepturum postulata. HIER., adv. *Pel.*

Oratio fidelis, humilis, fervens si fuerit, celum sine dubio penetrabit; tunc est, quod vacua non rediit. BERNHART., de *Quad.*, lib. IV.

Persistentibus in oratione infunditur gratia, quamvis forte in initio aridi sint. *Ibid.*, super *Cant.*, ser. LXXXIX.

FACILITAS. — Movere debet ad orationem orandi facilitas, et inexcusabilitas; quia opus de facili potest fieri, et ita inexcusabile est, secundum quod in Psalmo dicitur: « Apud me oratio Deo vite mee. » Ubi Glossa ait: Apud justum semper est, quod dare potest, scilicet oratio, quam si non potest dare voce, potest eam semper dare mente, ut semper oret, bonum desiderando, et volendo. BELLOV., dist. XXXII.

Non infirmitate aut paupertate se potest excusare homo, cui si diceretur: jejuna, posset respondere: non possum, quia infirmus sum. Si dicitur ei: fac elemosinam, posset respondere: non possum, quia pauper sum: si dicitur, ora, non potest, hoc dicere: quia si non potest orare voce, potest orare corde, ipsa bona voluntas, et desiderium orandi, oratio est. *Ibid.*

In orandis hominibus, et sumpto opus est servili adulatione, multoque et molesto ambitu: non enim solum recta ipsos Dominos adire licet, et appellare de munere, sed frequenter necessum, ministros, dispensatores, curatores eorum, pecuniis, et verbis,

et omni denique pacto demulcere, quo vel ita tandem postulata accipiant. Nihil istiusmodi in orando Deo; non ibi opus est interpretibus, neque tam ab interessoribus, quam nostris ipsorum precibus, pro impetrandis muneribus exoratur. S. CHRYS., in Ps. cxlv.

DE ORATIONE DOMINICA. — Quæ vera magis apud Deum Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui est veritas, de cujus ore prolata est? S. CHRYS., de *Orat. Dom.*

Oratio Dominica perfectissima est; quia, sicut Augustinus dicit ad Probam: Si recte et congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista Oratione Dominica positum est. S. TH., II, 2, q. lxxxiii, art. 9.

Neque enim propria tantum orationis officia complexa est, sed omnem pene sermonem Domini, omnem orationem disciplinæ, ut revera in oratione hac Evangelii breviarium comprehendatur. TERTULL., lib. de *Or.*

Si per omnia precatio sanctarum verba discurras, quantum existimo, nihil invenies, quod non ista Dominica contineat, et concludat oratio. S. AUG., *epist.* cxxi.

Tanta est hujus orationis profunditas in sensu, fecunditas in mysteriis, efficacia in effectu et artificiositas in ordine, ut nemo capere queat, vel eloqui. DIONYS. CARTHUS., in c. vi, *Matth.*

DE ORATIONE PUBLICA. — Congregato illi Sanctos ejus, ut illi simul pro nobis intercedant: quod enim Dominus uni Sancto forsitan negaret, omnibus congregatis, et orantibus non negaret: sicut in claustris, quando Conventus totus petit ab Abbate, non est consuetudinis, ut patiantur repulsam. HUGO CAR.

Persæpe Deus quasi pudore commovetur, cum multitudinem ad precatioem concordem, atque conspirantem cernit. S. CHRYS., h. II, in c. I, Cor., II.

Deprecatio consonantes non habens, multo est invalidior. S. BASIL.

Multi nimirum, dum congregantur unanimes, magni flunt, et multorum preces impossibile est non audiri. S. AMBR.

Ideo congregamur in solemnitatibus, vel processioibus, ut ab invicem inflammemur et oratio ascendat ad Deum. S. VINC. FERR., c. vi, in *Dom. & post. Pent.*

Hæc vis Deo grata est. Coimus in cœtum,

et congregationem, ut ad Deum quasi facta manu precatioibus ambiamus. TERTULL., in *Apolog.*, c. lxx.

MEDITATIO.

QUALITAS. — Quicumque esse Dei fidelis servus et prudens desiderat, Salvatoris gesta et præcipue ipsius Passionem ruminare non negligat. S. LAUR. JUSTIN., de *Discipl. mon.*, c. viii.

UTILITAS. — Maxima viarum ad veri investigationem ferentium meditatio est SS. Scripturarum. Quandoquidem in his cum rerum agendarum præcepta inveniantur, tum beatorum hominum vitæ memoria prodita, ac præscripta, tanquam simulacra quædam animata proposita sunt vitæ ad normam divinam instituendæ, iis quidem, qui bonorum operum exemplaria cupiunt imitari. Proinde in qua re quisque nostrum senserit, se eo, quod oportet, defici, in illud assidue incumbens, tanquam ab officina quadam medicinæ, appositi suæ infirmati medicamentum invenire poterit. S. BASIL., ep. I, ad *Gr. Th.*

Sedula meditatio non remanet extra, non hæret in superficie, sed ulterius pedem figit, interiora penetrat, singula rimatur, et masticando ac rimando succum elicit, et transiguitendo usque ad cordis intima transmittit. S. BERN., in *Scala claustr.*, c. III.

Consideratio rerum particularium mentem, de qua oritur, purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat et ordinat, agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat incorrectum, aut correctione egens. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit in adversis quasi non sensit. IDEM., l. I, de *Consid.*, c. vii.

Nihil aptus Deum possidere facit, et mentem refrænât, quam attenta meditatio, quæ in oratione proponitur. Hæc siquidem cor amovet ab exterioribus, et ad se redire compellit. Hæc est disciplina mentis, spiritualis Pædagogus, orationis funiculus, incipientium eruditio, et intentionis mentis provida gubernatrix. Ex ipsius assiduitate stabilitur mens, purgantur cogitationes, solitudo fapit, delecta Deus, ingenium acuitur, castificatur sensus, illustratur ratio, loquela res-

tringitur, et animus ad alta suspenditur. Ipsa est spiritualis janua orationis, per quam verbum ab ingredientibus agnoscitur, et puris manibus honoratur. Quamdiu mentis oratio veraciter possidetur, tanquam oculi pupilla custodienda est, velut quoddam spirituale depositum servanda. S. LAUR. JUSTIN., de *Casto connub.*, c. XII.

Vera postulatio non est in vocibus, sed in cogitationibus cordis, valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Unde recte per Psalmistam dicitur: Desiderium cordis eorum exaudivit Dominus: præparationem eorum audivit auris tua. S. GRÆG., l. XXII, *Mor.*

Meditatio docet, quid, et qualiter sit orandum, disponit et ordinat animum, et regulat mentem, et elevat cor in Deum. BELLOV., l. III, *Spec.*, p. X, dist. XII.

Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem: meditatio est frequens cogitatio, curiosa, et sagax obscura investigare, et occulta ad notitiam trahere. Scientia est, quando homo ad notitiam sui assidua meditatione illustratur: Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. S. AUG., l. de *Spir. et anim.*, c. L.

Ascendamus velut duobus quibusdam pedibus, meditatione et oratione: meditatio si quidem docet, quid desit: oratio, ne desit obtinet: meditatione agnoscimus imminetia nobis pericula, et oratione evadimus. S. BERN., s. I, de *S. Andrea.*

Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat, et frangit, oratio saporem acquirit. Contemplatio est ipsa dulcedo quæ jucundat, et reficit, lectio in cortice, meditatio in adipe, oratio in desiderii postulatione, contemplatio in acceptæ dulcedinis delectatione. IB., c. I, *Sch. clau.*

NECESSITAS. — Ad orandi studium meditatio provocat et informat. Hugo ait: Sic orationi sancta meditatio necessaria est, ut omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur, aut præcedat. Nam et hi, qui mala sua considerare negligunt, aut nihil petendo facile per ignorantiam falluntur, aut certe minus, quam oportet, digne petendo per desidiam tepescunt. Quanto homo magis mala sua intelligit, tanto amplius suspirat, et gemit. S. BONAV., *Spec. disc.*, p. I, c. XII.

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

O quantus fervor omnium Religiosorum in principio suæ sanctæ institutionis fuit! O quanta devotio orationis! quanta æmulatione virtutis. Lib. I, de *Im.*, c. xviii, § 5.

Leva oculos tuos ad Deum in exelsis, et ora pro peccatis tuis et negligentis: mane cum eo in cella, quia non invenies alibi tantam pacem.

Apud Attissimum sit cogitatio tua, et deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur. Lib. II, c. I, § 4.

Semper cum timore Dei et cordis humilitate desiderandum est, et petendum, quidquid desiderabile menti occurrit, maximeque cum propria resignatione mihi totum committendum est, atque dicendum: Domine, tu scis qualiter melius est: fac hoc vel illud, sicut volueris. Da quod vis et quantum vis, et quando scis. L. II, c. xv, § 2.

MEDITATIO. — Quære aptum tempus vacandi tibi, et de beneficiis Dei frequenter cogita. L. I, c. xx, § 4.

Si te subtraxeris a superfluis locutionibus et otiosis circumfutionibus, nec non a novitatibus et rumoribus audiendis, invenies tempus sufficiens, et aptum pro bonis meditationibus instituendis. *IB.*

Si nescis speculare alta et cœlestia, requiesce in passione Christi, et in sacris vulneribus libenter habita. L. II, c. I, § 4.

EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

QUALITAS. — Christus elevatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quia audisti me. Sed et in horto progressus pusillum, procidit in faciem suam orans et dicens: Pater mi, si possibile est, avertat a me calix iste. JOAN., XI, MATT., xxvii.

Appropinquante exercitu Timothei Judas Machabæus, et qui cum illo erant, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque cilicis præcincti, ad altaris crepidinem provoluti, ut eis esset propitiis, et inimicis eorum inimicus. II MAC., c. X, v. 15.

Idem Judas quondam vidit in somnio

Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum et qui a puero in virtutibus exercitatus erat, manus protendentem orare pro omni populo Judæorum. Post hoc apparuisse et alium virum ætate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum; respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, et populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei. II MAC., c. xv, v. 12.

S. Jacobus Minor usque adeo flexis genibus Deum pro populo deprecabatur, ut callum durissimum obduceret. S. HIER., de V. illustr. Quod ipsum etiam de S. Edmundo Episcopo Cantuariensi Surius testatur, additque, sæpe etiam sanguinem ex genibus erupisse. SUR., 16 nov.

S. Paulus Eremita genibus complicatis, erecta cervice, extensisque in cælum manibus, cum repertus esset a S. Antonio, hic eum primo vivere credens pariter orabat; sed postquam nulla, ut solebat, suspiria preceantis audivit, in flebile osculum ruens intellexit, quod etiam post mortem Deum, cui omnia vivunt, officioso gestu precaretur. S. HIER., in Vit. S. Pauli.

S. Arsenius quovis sabbato, submissis genibus, a vespere usque ad matutinum tempus orationem facie semper ad Orientem versa continuabat, illum adorans, de quo per Prophetam dicitur: Ecce vir oriens nomen ejus. MARUL., l. II, c. I.

S. Servatio Trajectensi Episcopo igneus supra verticem radius apparuit, qui mox in sublime evolans cælum, specie testatus, ut videtur, in ignis specie orationum ejus fervorem, in splendore vitæ puritatem, in ascensu meritorum altitudinem. Ibm.

S. Bernardus nocturnis vigiliis assistens vidit Angelos diligentissime singulorum orationem notantes, et illorum quidem, qui cum fervore eam peragebant, aureis: eorum, qui minus ferventer orabant, argenteis: qui voluntatem bene orandi absque effectu habebant, atramento: qui somnolenter et pigre, ac oscitanter Deum laudabant, aqua scribebant: de illis qui vel peccato mortali obnoxii, vel voluntarie distracti erant, nihil notabant. SPEC., ex. v. Ave.

Dormienti sub oratione Monacho Christus obversis humeris apparuit, afferens servum tam pigrum non mereri videre faciem

suam. Alteri sub choro dormienti imago Christi descendens tantum colaphum inflixit, ut tribus post diebus fuerit extinctus. ROBR., p. I, tr. v, c. xxiv.

Cum quadam nocte duo fratres sedendo in lectis suis pariter dicerent matutinum, diabolus subito adfuit et fetorem intolerabilem producere dicit: Tali orationi tale incensum convenit. SPEC., ex. v. or., ex. xiv.

Quodam tempore nocte in specie Monachi dæmon ad ostium cellulæ S. Macharii pulsaverat dicens: Surge, Abbas Machari, et eamus ad Collectam, ubi fratres ad vigiliam congregantur; sed ille gratia Dei repletus falli non potuit, intellexit enim diaboli fallaciam, et ait: « O mendax veritatis inimice, quid tibi societas est cum Collecta et Congregatione sanctorum? » at ille ait: « Latet ergo te, Machari, quod sine nobis nulla Collecta agitur, nulla Congregatio Monachorum? Veni tu denique, et videbis opera nostra: » dixit autem Macharius: « Imperet tibi Dominus, dæmon immunde: » et conversus ad orationem petiit a Domino, ut sibi ostenderet, si hoc verum esset, quod gloriatus est dæmon. Abiit ergo ad Collectam, ubi a fratribus Vigilia celebrabantur, et iterum in oratione Dominum deprecabatur, ut ei veritatem verbi hujus ostenderet: et ecce vidit per totam Ecclesiam quasi parvulos quosdam pueros Æthiopes nigros discurrere huc atque illic, et velut volitando deferri: discurrentes autem illi Æthiopes pueri singulis quibusque fratribus in oratione positus, atque psallentibus illudebant: et si cui de eis oculos duobus digitis compressisset, statim dormitabat: si cui vero in os misisset digitum, oscitare eum faciebant: item eum post Psalmum ad orandum se proiecissent fratres, percurrerant iterum singulos, et ante alium quidem jacentem in oratione, quasi in mulierum speciem vertebantur: ante alium quasi ædificantes aut apportantes aliquid, aut diversa quaque agentes apparebant, et quæcumque dæmones quasi ludentes formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant; ab aliquibus tamen fratribus, ubi aliqui horum cõpissent, quasi violenter repulsi præcipites dejiciebantur ita ut nec stare ante eos, aut transire audent, aliis etiam juxta cervicem et dorsa ludebant; hæc cum vidisset S. Macharius graviter ingemuit, et lacrymas

profundens, ad Dominum dixit: « Respice, Domine, et ne sileas: neque mitigeris, Deus: sed exurge et dispergantur inimici tui, et fugiant a facie tua, quoniam anima nostra repletur illusionibus. » Post orationem autem, examinandæ veritatis gratia, seorsum evocatis singulis quibusque fratribus, ante quorum faciem viderat dæmones diverso habitu, et variis imaginibus ludentes, requirit ab eis, si in oratione vel ædificandi cogitationes habuerit, vel iter agendi, vel alia diversa, quæ unicuique per dæmones imaginata viderat: et singuli eorum ita confitebantur, in corde suo fuisse cogitationes, sicut ille arguebat. Et tunc vere intellectum est, quod omnes malæ et superflue ac vanæ cogitationes, quæ vel psallentibus, vel somniorum aut orationum tempore occurrunt, quasque unusquisque in corde conceperit illusionem et instinctu demonum fiant. Nam ab aliis, qui omni custodia servant in timore et amore Dei cor suum, illi tenebrosi Æthiopes, et hæc, quas immittunt, cogitationes repelluntur: Christo enim mens conjuncta, et præcipue tempore orationis intenta, nihil malum, nihilque superfluum recipit. SPEC., ex. v. I, dars., ex. iv.

Venerunt aliquando ad Abbatem Lucium in Hennato Monachi quidam, qui dicebantur Euchite, hoc est oratores, et interrogavit eos senex dicens: quod est opus manuum vestrarum? et illi dixerunt: nos non contingimus aliquando opus manuum, sed, sicut dicit Apostolus, sine intermissione oramus: dicit eis senex: et non manducatis? illi autem dixerunt: etiam manducamus. Et dicit eis: quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? et iterum interrogavit eos dicens: non dormitis? et illi dixerunt: dormimus. Et dicit eis senex: cum dormitis, quis pro vobis orat? et non invenerunt, quid ad hæc responderent ei. Et dixit eis: ignoscite mihi, Fratres, quia ecce non facitis, sicut dixistis. Ego autem ostendo vobis, quia operans manibus meis, sine intermissione oro, sedeo enim juvante Deo infundens paucas palmulas, et facio ex eis plectam, et dico: « Miserere mei, Deus, secundum magnam, etc. » et dicit eis: oratio est an non? et dicunt ei: etiam. Et ille dixit: quando permansero tota die laborans, et orans corde, vel ore, facio plus minus sexdecim nummos, et pono ex eis ad ostium duos nummos, et residuos manduco,

et qui accipit illos duos denarios, orat pro me tempore, quo ego manduco, vel dormio, atque ita per gratiam Dei implebitur in me, quod scriptum est: « Sine intermissione orate. » Is. V. or. ex. vii.

Virgo quædam religiosa secundum numerum Psalmorum centum quinquaginta salutationes Angelicæ, cum totidem venis, Regina cœli singulis diebus offerebat, sed quoniam propter ipsam multipliciter minus digna devotione, quam oporteret, eas recitabat, admonita est ab eadem Domina nostra, quatenus rescissis duobus partibus, quinquaginta sibi quotidie salutationes cum convenientibus orationibus Dominicis intente et amorose persolveret, patenter insinuans, Deo et sibi acceptus fore, si parum cum devotione recitet, quam multum negligeret et sine devotione exhibitum. Is., V. Sal. Ang., ex. 7.

Dæmon quidam adolescentis venusti speciem induens, ad quemdam nullum venit, obsequium suum illi offerens. Cui cum multum placeret, tam in decore, quam in sermone, gratanter ab eo susceptus est. Qui mox militi servire cepit diligenter, et tam timide, tam fideliter, et tam jucunde, ut satis ille miraretur: nunquam equum suum ascendit, nunquam descendit, quin ille esset præparatus, et genuflexo strepant teneret, disertum, providum, hilarem semper se exhibuit. Die quadam dum simul equitarent, et venissent ad fluvium quemdam magnum, miles respiciens, et plures ex inimicis suis mortalibus post eos venire considerans, ait servo: « Mortui sumus, ecce inimici mei post me festinant: fluvius ex opposito est, nullus superest locus refugii: aut occident me, aut capiunt. » Tunc ille: « Ne timeas, Domine, vadum fluminis hujus bene novi, sequere tantum me, bene evademus. » Respondente milite: numquam homo fluvium istum in hoc loco transvadavit; spe tamen evasionis suam ducent secutus, sine periculo vadit ad litus: et ecce eis transpositis, hostes ex opposito litore consistens mirati sunt, dicentes: « quis nunquam adivit vadum in flumine isto? non alius nisi diabolus illum transverxit, timentesque reversi sunt. » Processu vero temporis accidit, ut militis uxor infirmaretur usque ad mortem, in qua dum omnes medicorum artes defecissent, ait iterum dæmon domino suo: Si domina mea inungeretur lacte leonino, statim sanare-

tur; dicente milite, unde haberetur lactale? respondit ille: ego afferam; qui vadens, et post spatium unius horæ rediens, vas plenum secum attulit, a quo cum fuisset peruncta, mox meliorata pristinum recuperavit vigorem. Cui cum diceret miles: « Unde habuisti tam cito illud? » respondit: « De montibus attuli Arabiæ: recedens a te, in Arabiam ivi, lænæ speluncam intravi, calculos abegi, et ipsam mulsi, sique reversus sum ad te. » Stupente milite ad verba ista, et dicente: « Quis ergo es tu? » Respondit ille: « Non sollicitus de hoc, servus enim tuus sum. » Ergo instante milite, tandem confessus est, dicens: « Dæmon ego sum, unus ex illis, qui cum Lucifero ceciderunt. Tunc magis miles stupens subjuxit: « Si natura diabolus es, quid est, quod tam fideliter servis homini? » Respondit dæmon: « Magna est mihi consolatio, esse cum filiis hominum: » dicente milite, « Non audeo de cætero uti servitio tuo. » Iterum ille respondit: « Hoc pro certo scias; quia si me teneris, nunquam a me vel propter me aliquid mali evenit. Non audeo, inquit, sed quidquid pro mercede tua postulaveris, licet dimidium bonorum meorum, libens tradam tibi. Nunquam homo homini servivit tam fideliter, et tam utiliter: per tuam providentiam juxta fluvium mortem evasi, per te uxor mea recepit sanitatem. » Tunc dæmon: « Ex quo tecum esse non potero, nil pro servitio meo, nisi quinque solidos requiro, » quos cum recepisset, militi illi reddidit dicens: « Peto, ut ex eis nolam compares, et super tectum pauperis illius Ecclesiæ ac desolatæ suspendas, ut per eam saltem Dominicis diebus fideles ad divinum convocentur Officium; sique oculis ejus disparuit. » Et hoc idcirco dæmon petiit, ut hi, qui hactenus debitam horam officii præveniebant, cum summa devotione expectabant, eo quod timerent tardius ad divina mysteria concurrere, de cætero non nisi post auditum note sonum convenirent. *Id.*, V. or. ex. xiii.

Celebrabantur aliquando solemnes vigiliae, et S. Bernardus cum cæteris fratribus aderat, eumque hymnus, « Te Deum laudamus, » cantaretur, vidit S. Angelos multa claritate fulgentes, mira etiam vultus alacritate devotos, qui utrumque chorum percurrentes modo hunc, modo illum excitabant, cantantibus aderant, et quasi congratulantes astabant, et ut diutius ille hymnus

cum devotione præcineretur, modis omnibus elaborare satagebant. Intellexit quoque Vir sanctus, hymnum illum vere esse familiarem ipsis, quos tanta instantia vidit operam dare, quatenus a fratribus ad honorem Dei cum fervore devotionis cantetur. Cuiusdam etiam fratri spirituali videre concessum est, dum idem hymnus inciperetur, quod ab ore incipientis flamma magni splendoris erumpebat, et sursum conscendebat. *Id.*, v. *Ang.*, ex 12.

De Dominico Anadono Ordinis Prædicatorum, sit scribit Joannes Rho: Gemina in hoc, quod sequitur, laus, publica et privata, continetur. Altera Valentini Cœnobii Patrum est, qui centum ipsas aras, sacrum intra ædem, et domestica claustra, Deo excitarunt: ut mihi, unius familia Religio urbem tueri posse, et cœnobium illud gloriosiori elogio, quam a centum portis olim Thebæ, a centum altaribus cœnogrammentum posse desumere videatur. Altera Anadono debetur: nam quum tuendæ alterum religionis satis esse videri posset, domesticorum aliquem singulas ad aras Deo quotidie supplicare; nec leve id, quamquam frequenti in familia, vel ad pietatis augmentum, vel ad publicæ salutis tutelam, momentum alaturum esset; quid de Anadoni orandi studio dicere nos convenit? qui unus si aliorum cessasset industria, omnium obivit partes, et centum altaria quotidie circumiens, singulisque advolutus, vir minime alioqui otiosus, præpotenti Deo laudis hostias centum, novo atque admirabili hecatombes genere immolavit. Abundamus nimirum tempore, si attendamus, neque illius spatia summa vitæ jactura, per negligentiam elabi sinamus. *JOAN. RHO*, l. III, c. viii, n. 4.

Non minor in Joanne Dei orationis contentio, quem non in lectulo afflictum jacentem, sed genibus nixum, ardentissimas ad Deum preces fundentem, renovata Pauli Anachoretorum Principis memoria mortalitatis extrema necessitas occupavit, ac vel uti Religiosum illum corporis habitum reverita, humi affligere cadaver non est ausa, ut clarissima esset testificatio, quam assidue orare consuesset ille, cuius exuvia, ad quam longo se usu composuerant, frigida in morte pietatis retinebant imaginem: abstulit illi mors animam et orationem, orantis gestum non abstulit. *Id.*, n. 7.

Non unius hæc Joanni laus fuit, additur

illi comes Marcus Angelus Gambaranus C. Sommascus, clarum inter socios Hieronymi Æmiliani nomen; ea enim nocte, qua illi suprema fuit, quum instare sibi mortem sentiret, vires animo addente, vestes induit, et quamvis egre se moliens, ut id temporis, reperisset, domesticum ad oratorium perreplavit; ibique flexo poplite, scamnoque innixus, cum oratione, cui assueverat, aliquantulum temporis extraxisset, scamnum manu pulsans, absolvendæ simul vitæ, simul orationis veluti dato signo, ad meliores emigravit. *Id.*, n. 8.

De Angelo Pacio Ordinis Minorum referit idem auctor. Nocte manus ad Deum non frustra tolli, verbis, exemploque docuit Prophetæ, quem omnes plerique sequuntur. Cæterum meridiem huic operi destinare institerat Pacius et qua maxime diei tempestate mortales otia sectantur, ipse, qui precum continuus esset, tum ipsas, quantum poterat, intendebat, sui que facti non unam reddebat rationem: et primo quidem, imitari se Apostolos, qui ex veteri disciplina ad horam orationis nonam templum adire conserverant, deinde nullam sibi opportuniorem Deo exorando ea videri, qua perfecto magno Christi sacrificio totius hominum generis salus condita est: Quid enim precibus aliud poscimus, quam quod ea nobis obveniat. *Id.*, n. 12.

Clerici, qui Minores dici voluerunt, eam suscipere provinciam, ut semper domi aliquos in Dei oratione habeant occupatos, quodque singulis non possunt, ad vicaria invicem opera præstant universi, cœloque assimilés sint domus illæ in quibus a Dei laudibus nunquam cessatur. *Id.*, n. 17.

Seraphinum Cavallum Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum, constantissimæ pietatis fuisse, tradunt annales: illud ex nominis angurio memorabile, tres ipsas horas late dispansis brachiis quondam orando perseverasse; quem corporis habitum vix per semihoram a paucissimis tolerari posse crediderim; sed ut beata illa Seraphim perpetuo alis librata, Deum circumstant, sic iste ne nomine videretur indignus, immoto corpore animum altissimo volatu explicabat. *Id.*, n. 20.

ASSIDUITAS. — B. Virgo cum tanta assiduitate orationi vacabat, ut omnis ejus vita et operatio, teste S. Alberto Magno, fuerit sedula precatio; et ideo S. Ephrem eam

Thoribulum aureum, in quo sine intermissione thus orationis suavissimum offerrebat, appellavit. *DREX*, in *Ros.*, *Mar.*, p. I, c. ix.

S. Bartholomæus centies de die, et centies de nocte, flexis genibus, orationi vacavit. *MAR.*, l. II, c. 1.

S. Antonius sæpe per totam noctem orans, exorto sole, dixit: Ah quid me impedis, o sol, qui oriris, ab amœniore me sole abstrahens! S. *ACHAN.*, in ejus *Vita*, c. iv.

Paulus in finibus Africæ quingentorum monachorum Pater, nullo vitæ suæ die quidquam prius egit, quin trecentas orationes genibus provolutus Domino obtulisset. *Id.*

S. Martinus Turonensis Episcopus ne tunc quidem cum laboraret manibus linguam ab oratione cohibuit; imo in agone, frigescentibus jam membris labia adhuc movebat, nec prius orare destitit, quam subito lumine circumfusis spiritum reddidit. *Id.*

Anna vidua, teste S. Luca, non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte. *LUC.*, ii, 37.

S. Martha centies per diem, et centies per noctem submittere genua solita fuit, dum illum in cœlis adoraret regnantem, quem in terris morantem hospitio exceperat, non jam minus in supplicando sollicita, quam olim fuerat in ministrando. *MAR.*, l. c.

De Trasilla virgine Amita sua testatur S. Gregorius, quod, cum ipsam post mortem levare vellent, genibus cubitibus concretam callorum duritiem invenerint ex assiduo precandi studio creatam. *Id.*

Thais meretrix S. Paphnutii opera ad frugem revocata, tanta tenebatur antea vite verecundia, tam se ex animo abjiciebat, ut Dei nomen proferre non ausa, hoc solum frequens repeteret: « Qui plasmasti me, miserere mei: » qua demissione ad illum virtutis gradum intra annum pervenit, ut illustrem gloriæ locum, quem S. Paulus Simplex in cœlo viderat, et Patri suo Antonio paratum credebat, vox de cœlo lapsa Thaidis esse diceret, quemque esset intra quindecim dies felici morte consecutura. *PED. CHR.*, t. II, c. xxv, § 6. *Hist.* iii.

Pius V, quam privata in disciplina orandi consuetudinem hanerat, eam, non inter Pontificatus ardua, negotiorumque tempestatum unquam interrupit; ita nox modo statim horis divinarum laudum pensum diligentissime persolvebat, verum et certas

noctis horas et quidquid otii alienis temporibus poterat suffurari, totum in agendo cum Domino, quæ plurima pro ejusdem gloriam susceperat peregranda, expediendis diligentissime impendebat: et profitebatur palam, sine orandi studio neque Pontificatus, neque interiores sibi animæ rationes consistere. Quanta autem ejus esset in orando Numine vis, quam secundo in precibus uteretur Deo, novit Christiana Respublica, quam celeberrima de Turcarum classe impetrata victoria ab imminente discrimine liberavit. JOAN. RHO., l. III, c. vii, n. 2.

Joanni Baptistæ Vitellio quindecim ut minimum horas diebus singulis absumebat oratio, quantula parte, (si reliqua pietatis demus officia) curando corpori relicta, sed si opus esset, vehementius multo agebat: fuit enim, quum in gravibus Christianæ Reipublicæ temporibus totidem sæpe dies perdis in ac pernox ante aram et divinissimum Eucharistiam perseveraverit immotus, si duas modo horas sub auroram excipias, quas natura usibus concedebat. Quid non a Deo auferret, quem de petendi ac precandi constantia nulla temporis dimoveret vicissitudo? fortissimus Ducum Josue, qui ardore animi cælo novas dedit leges, elata manus perseverantia hostium urbes delevit. *Id.*, n. 28.

Thomas Sirietus sacerdotale precum brevium quotidie ex formula percurrit ad annum quintum supra centesimum, qui vitæ illi supremus fuit. Meruit æternos inter Dei laudatores enumerari, qui victis temporum legibus, spretisque vicissitudinibus hic laudare perseveraverit. *Id.*, c. x, n. 9.

Pastunius Abbas adeo orandi studio ducebatur, ut nulla corporis debilitas animi sedulitatem coerceret; adversa valetudine pressus, cum de lectulo surgere non valeret, jacens orabat: jam languor vehemens expeditius loquendi ademerat facultatem, et tacitus laborum motus, etiam tum illum orare testabatur; denique discedens anima non prius orationem quam corpus reliquit. Orantem adhuc Angeli exceperunt, et ad cælum tollentes Domino obtulerunt; ut semper lætari possit, eam se beatitudinem impetrasse, quam semper petierat. *SAB.*, l. II.

Sisinius Elpidii Abbatis discipulus cum annos septem sub illius institutionibus fuisset conversatus, tandem discedens, quodam

satis grandi monumento lapideo se occultans per triennium semper recte orasse dicitur, neque interim aut sedisse aut jacuisse, aut inde pedem extulisse. Quid prius mirer nescio, an anguste habitantem, an immobiliter stantem, an continenter orantem? cuncta quidem dura factaque difficulta, nisi quod corporis lassitudinem animus Deo intentus minus sentire potuit. Qui enim tam perseveranter oravit, is in cælo magis quam in sepulcro fuit. *Id.*

Elisabetha Landgraviæ Thuringiæ Principis uxor impetrata a viro noctis continentia, ad orationem secedebat, super pavimento distento tapetulo cubitans, ne mollius jacenti altior somnus horas interciperet orandi. Vir quoque sanctitudine illius delectatus, ad ea quæ Dei sunt magis magisque inflammabatur, id quod petitum erat facilius concedere, et ipsemet impensius, orare. *Id.*

De Zebina viri sanctissimi oratione sic scribit Theodoretus in historia religiosa: Stupebant omnes sui temporis homines assiduitate orationis. In ea enim noctu diuque versans non solum non favebatur; sed etiam desiderium efficiebat vehementius. Quin etiam cum iis qui ad ipsum veniebant, paucis disserens, non poterat in animum inducere, ut cogitationem a cæcis deduceret, sed statim ab illis liberatus et nec tantillum quidem ab eis quæ divina sunt separatus, offerebat rursus deprecationem. THEODOR., in *Hist. SS. Patr.*, c. XXIV.

Mira fuit Saræ junioris Tobia uxoris in oratione perseverantia et assiduitas, quæ acerbo convitio ab ancilla sua extimulata tribus diebus ac noctibus sine cibo et potu in oratione perseveravit. *TOB.*

UTILITAS. — Moyses quamdiu in vertice collis manus elevabat, populus Israeliticus contra Amalec vincebat; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. *EX.*, xvii, 11. Anna per orationem sterilitatis malum avertit. I REG., i. Elias pluviam impetravit. III REG., xviii. Ezechias vitæ prolongationem. IV REG., xx. Sara in cubiculo domus suæ tribus diebus orans, ab improprio ancillæ liberata est: postea vero etiam eodem medio cum Tobia, a dæmonio protecta. *TOB.*, iii, etc. Judith contra Holofernem pugnatu, oratorium suum ingressa, cilicio induta, cinereque conspersa, et in terram prostrata, Domino prius supplicavit: sed et Oniæ et civibus

dixit: Nihil aliud fiat pro me, nisi oratio ad Dominum. *JUD.*, viii. Esther quoque Mardocheo dixit: Congrega omnes Judæos, quos reperies, et orato pro me; sicque salutem illis peperit, malumque paratum in hostium caput convertit. *ESTH.*, iv. Tres pueri in fornace Babilonica benedicientes et orantes Deum, ab incendio liberati sunt. *DAN.*, iii. Daniel quia etiam contra Regis decretum ter de die orationem continuavit, a leonibus est custoditus. *DAN.*, ix. Susanna quia stens suspexit in cælum, fiduciamque habebat in Domino, ab adulterii crimine, et morte, libera declarata est. *DAN.*, i. Joanas in ventre ceti clamans ad Dominum, ab eodem cæto incolumis in terram ejectus est. *JOS.*, ii. Judas Machabeus quoties oravit Dominum, vicisse legitur, his vero victus ab Antiocho et Bacechide, orasse non legitur. I MACH., c. ix et xi.

Quia pro S. Petro in carcere detento, oratio sine intermissione fiebat a populo, ab Angelo cælitus ei submisso mirabiliter liberatus est. *ACT.*, xii.

S. Thomas fatebatur, se doctrinam suam magis oratione, quam labore obtinuisse: dicere quoque solitus, Religiosum sine oratione esse militem sine armis. *SCR.*, in *Vit.*, 8 mart.

S. Jacobus Episcopus Nisibensis civitatem suam a gravissima Saporis Regis obsidione liberavit, dum ciniphum et culicum agmina ingentia in hostilem exercitum immitti impetravit. *SPEC.*, ex. v, *Op.* ex xl.

Oratione Publii Monachi dæmon a Juliano Imperatore in Persidem missus pro certo responso afferendo, per decem dies detentus, ad Julianum sine effectu redire coactus est. *Id.*, ex viii.

Bertholdus juvenis dissolutus cum se pro conversione impetranda B. Elizabethæ Thuringiæ Ducissæ commendasset, ea orante usque adeo arsit et sudavit, ut ne omnino a nimio æstu consumeretur, clamare, petereque, ut ab oratione desistat, debuerit. *Id.*, ex xvi.

Orationibus fratrum Cuno Monachus adeo in morte roboratus est, ut licet quindecim millia dæmonum ad eum oppugnandum convenissent, nihil ei nocere poterint. *Id.*, v. *Mori.* ex xviii.

S. Climacus refert, unum ex priscis Anachoretis dicere solitum fuisse, se in oratione matutina cursum totius diei conspiciere, quali enim tenore ac modo prima illo ora-

tio præcederet, tali reliqua omnia eo die solere sequi. *S. CLIM.*, *Grad.*, xviii.

Cum Joannes Alarionius Aloysio Bertrando Ordinis Predicatorum, velut sodali suo in Albaide de hyemis ac frigidis penetrabilibus vi conquereretur, nec jam se esse ferendo affirmaret: quin te igitur, ait Aloysius, ad orandum recipis? neque enim fieri potest, ut rite Deum orantes non incalescant. *JOAN. RHO.*, c. viii, n. 5.

De Bonaventura Seraphina sic scribit Joannes Rho: singulari hujus Virginis innocentia puerilibus etiam in annis mirum, quam delectaretur Deus. Educabatur illa cum socia apud Moniales Gandienses, quibus persuasum erat, quidquid a Deo hæc flagitasset, absque dubio impetratras; itaque Magistra morum quoties sive agris pluvia, sive annona sororibus opus erat accitas ad se puellas jubebat actutum se in preces dare, ni Deum exorarent, ne ad se reverterentur, neve jentaculum sperarent; parebant illæ atque in secretum horti domesticum locum secedentes flagellis tantilla in corpora deservientes, atque precibus incumbentes, quod imperabatur, impetrabant. Mira Numinis indulgentia, quasi testari vellet, illius vocis nequaquam se penitere: Sinite parvulos venire ad me. *Id.*, xvi.

Sapor Rex Persarum truculentissimus Ecclesie persecutor, quique non tam pro regnis acquirendis, quam ut fidem Catholicam penitus extirparet, bella gerebat, cum Nisibim civitatem per validissimum exercitum arcta cinxisset obsidione, illiusque mœnia et propugnacula, perlaboriose derivatum et deductum in eadem vicini fluminis impetum, dejecisset, et solo aquasset, S. Jacobus ejusdem loci Episcopus hoc usus est consilio: videns murum corruisse, vocavit populum urbis et Clerum et milites ad orationem: facto mane invenerunt muros urbis cum omnibus propugnaculis reparatos post orationem: quod videns Sapor timuit, quia vidit super murum quandam imperiali schemate ornatum; quem cum crederet esse Romanorum Imperatorem, mortem minabatur exploratoribus suis, qui ei dixerunt, quod Romanus Imperator in illis partibus non adesset. Quem cum cognosceret, non esse hominem, aiebat, Deum agere bella Christianorum; ad quem cum præcepisset multas dirigi sagittas, nec ipsum læderent, nec Sapor cessaret ab obsidione, Episcopus abductus est super turrim

eminentiorem ut Sapor et exercitui malediceret, qui oravit, ut Dominus superbiam eorum muscis et cyniphibus domaret: et statim nebula exivit, de fluvio, quæ emisit muscas et cyniphes et culices, quæ intrantes per proboscides elephantorum, et nares et aures equorum, faciebant eos discurrere et fugere ab exercitu infinitis sessoribus, qui in eis sedebant, interfectis; et ita Sapor non sine multa confusione discedit ab obsidione. BAR., ad an. 437, n. 48.

Cum olim totus quasi mundus Arriana peste esset contaminatus (ut proinde in lectionibus sancti Damasi Papæ dicitur: « In gemiscens orbis terrarum, se Arrianum esse miratus est ») quoniam putatis modo Deum sacrilegum hunc prostravisse? Bellovacensis ait: Legitur in Ecclesiastica Historia, quod cum Constantinus Imperator factus Arrianum defenderet Arrium, convocavit Concilium apud Constantinopolim in quo secta Arrii confirmaretur; cum autem Alexander Patriarcha Alexandrinus, omnibus dictæ sectæ se opponeret, comminatur ei exilium Arriani, nisi eis in mane consentiret; ipse autem tota nocte pernoctans in oratione, provolutus sub altari, causam suam et Ecclesiæ Domino commendavit; facto mane cum Arrius cum suis constipatus duceretur cum maxima gloria ad Concilium, necessitate compulsus declinavit ad publicum locum. Ubi cum sederet, omni ab intestina sua, et viscera emisit in secessum. BELLOV., l. VI, *Dist.*, XXXIV.

In fine Historiæ Ecclesiasticæ legitur, quod cum Valentinianus Arrianus vitam finisset laqueo, substituitur ei Eugenius, similiter Arrianus. Theodosius autem vir Catholicus contra eum arma movit, præmunies se jejunis et orationibus, vigilans in oratione ante thecas Martyrum prostratus. Cui quidam sanctus Eremita promisit victoriam. Cum transiret Alpes cum suis, et viderent infinitam multitudinem undique confluentem, et eos ad pedes montis ad pugnas expectantes, sui terrifi terga vertebant et fugam parabant, descendit Theodosius, et projectis armis ad terram se prostravit in oratione; qua completa, Dominus animavit suos, ita ut reversi more leonum irruerent in hostes gentiles et Arrianos, et subito insurgens ventus vehemens tela, quæ hostes projiciebant, intorquebat in ipsos, Dei virtute. Eugenius adducitur ante pedes Theodosii, ubi vitam finivit. *Imo.*

De belli Duce quodam natione Gallo multum in bello fortunato, orationibus proinde addictissimo, Blasio Monluco nomine, scripta reperio sequentia: Hominis hic ego pugnacissimi, quem vere Matris pullum dicere possis, libenter nomen interiero, ut doceam, neque ipsa inter arma, quod nonnulli tamen habent pro explorato, cessare pietatem. Tradit ipse de seipso in libris, quos de rebus suis stylo edidit militari, nullum sibi diem abiisse non adorato Christianis precibus Numine; cum vero arma essent expedienda, atque in hostem pugnandum, tum concepto a se carmine, tum ex sacris formulis, magno animi sensu semper orasse. Nam qui ad præsentis mortis periculum toto corpore perhorresceret, ubi preces ac vota conceperat, ad sibi animos, novumque per ossa vigorem currere, atque incalescere in venis sanguinem sentiebat, ut unus omnium maxime in media exinde rueret pericula, temeritati propior, quam fortitudini, videretur. JOAN. RHO, l. III, cap. VIII, n. 48.

In vita S. Thomæ de Aquino legitur, quod cum aliquando multo tempore studisset, ut textum aliquem difficilimum Isaie Propheta, super quem tunc commentabatur, interpretari posset, solito ferventius ad orationem confugerit pro illius intelligentia. Cumque in majori orationis fervore positus esset, apparuerunt coram eo S. Petrus et S. Paulus, qui difficultatem plane declararunt, unde vere dicere potuit: Petrus Apostolus et Paulus Doctor gentium ipsi me docuerunt, et quidem frater Reginaldo socius ejus vocem Apostolorum distincte audivit, licet, quinam essent, scire non poterit; abeuntibus vero Apostolis, Reginaldo ad se accessit dixit: « Illas rebus paginas, in quibus, me dictante super Isaïam, proximis diebus scribebas, et quæ dictabo, diligenter excipe. » Cæpi ego statim scribere, illo non aliter dictante, quam si legeret illa, quæ dictabat; cumque scripseram, dixit: Redi jam ad quiescendum, quia adhuc multum noctis superest. Reginaldo autem summa cum instantia imo et cum lacrymis S. Doctorem interrogavit, quinam illi fuissent, qui in obscuro et silentio noctis cum illo miscuissent discursus; tandem post multam factam reluctantiam, et acceptam a Reginaldo promissionem, quod ea, quæ dicturus esset, quoad usque viveret, manifestare nolle, dixit ei: Vidisti

me hisce diebus valde anxium super difficultate loci Prophetiæ hujus, quem nunc exposui; cujus cum sensum percipere non possem, et ea me res mirifice angeret, non prius a precibus et lacrymis destiti, quam a Deo impetravi, ut mihi liceret scire, quod ut scirem, tantopere laboraveram: quare pius Dominus servi sui misertus, Beatos ad me Apostolos Petrum et Paulum hac nocte misit, qui mihi, sicut vides, rem planam et apertam fecere. *Hist. sel.*, c. CLXXI.

In Chronicis Capucinorum sequens recensetur historia: Frater Matthæus de Bascio unus ex primis Religionis illius Fundatoribus et sæculi sui Apostolus, atque in dono miraculorum insignis, utpote qui sæpius sicis pedibus mare inambulavit, cum die quadam venetis Hebræis prædicaret, unus illorum sic te se compunctum esse simulavit, dictumque Dei servum, ut pro se intercederet, rogavit, ut hac ratione ad veram fidei perduceretur notitiam. Cui vir Dei se pro eo oraturum esse, firmiter promisit; at vero Hebræus ille vix ab eo recesserat, cum protinus cum aliis suis sodalibus et sectæ consortibus, datam sibi promissionem, vanamque et fictam illam fiduciam, effuso cachinno derisit: post aliquot dies huic viro Dei obviam factus, eidem dixit: Nescio quid sibi velit, quod, postquam me tuis orationibus commendavi, Christus vester, ne vel semel mihi in mentem venerit, aut minimum mihi lucis radium communicavit: ita quidem est, respondet vir sanctus, sed post paucos dies hujus tibi edicam rationem: interea vero te obsecro, ut ad me venias, qua opera tua indigeo. Paulo post igitur Judæus illum conveniens, ab eo ad palatium quoddam uno miliari ab urbe distans perductus fuit, ubi in limine ejus bajulum quemdam invenit, nec non saccum frumento referum, et scapham in mari positam. Conversus igitur ad Hebræum vir Dei, eidem dixit: Frumentum hoc navicula huic imponere vellem, ut per mare ad domum nostram deportaretur: adjuva me igitur, ut saccum hunc præsentis bajuli humeris imponere possim. Judæus igitur perlibenter manus ori sacci applicavit, F. Matthæus autem eundem saccum ex alia parte apprehendit. Cumque Hebræus saccum levaret, vir Dei ex industria eundem cadere permisit. Quod cum sæpius ab eo factum fuisset, Hebræus viro Dei irascens dixit: Oportet, ut et tu ex ea parte

onus sustineas, quia ego idipsum solus portare non possum: tunc Dei servus ait: Dimitte saccum: nunc te paucis verbis affabor: nuper me rogasti, ut pro salute tuâ Dominum precarer pro tui illuminatione, ut veram fidem amplecteris: ego quidem omni cum diligentia partibus meis satisfeci, tu vero defecisti, et mihi, et tibi ipsi: conijunge cum sinceritate cordis orationem tuam cum mea, moxque super te descendere videbis divinam misericordiam: quo dicto, mox palatium, frumentum, bajulus, et navicula simul ab oculis eorum disparuerunt. Ex quo miraculo stupefacti, et domi suæ domesticis idipsum enarrans occasione sumpsit, ut gremio Ecclesiæ se cum omnibus familiæ suæ domesticis aggregaret. Optime igitur D. Chrysostomus ait: « Si nos in virtutis cordis seduli fuerimus, efficaces erit et preces aliorum pro nobis; si vero desides fuerimus, nemo nos juvare poterit. » *Chron. Capucin.*, t. I, p. I, an. 1552, n. 26.

Eximiam meretur laudem incredibilis illa Caroli V orationi incumbens attentio: de qua P. Rho in hæc verba scribit: Quam intento animo ibi esset, tunc maxime patuit, cum magni Regis legato per internumcium urgenti, ut admitteretur, rem magni momenti afferre se se, respondit: « Nec ego quidem nunc leviter sum occupatus, qui cum Deo ago. » *JOAN. RHO.*, l. III, c. VIII, ex. I.

Cuno magnus Dominus de Walpurg, vir potens et dives in sæculo, tam valens in militia, ne dicam malitia, quam vigens in prudentia sæculari, ante finem vitæ in Claustro habitum suscepit regularem, et quia temporis longinquitate non poterat, morum prohibitate dies suos dimidiare satagebat. Ubi adeo profect, quod « consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius; » unde et qui vocaverat eum ad suum servitium, non solum prohibita ei veniam delictorum, sed et in tali ordine præcognitum ei fecit finem suum. Habebat Conventus proletrarium pulcherrimum, quem equaritiæ suæ propter fetum nobilem deputaverat, quem cum vir nobilis Henricus de Isenburg concupisceret, neque pretio habere posset, hoc actum est, ut absconse subtraheretur, ei transmitteretur, quem cum minime redderet, missus esset predictus Cuno, qui eidem Henrico fuerat in sæculo amicissimus, et cum nihil proficeret, videns